



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

1. Quare Deus hoc praeceptum dedit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

ficabimus Deum, Ioan. 17. Hęc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti filium tuum Iesum Christum. Ergo alia vita nostra erit in futuro in notitia Dei & glorificatione, quę dicitur hic inchoari, quatenus fide apprehendimus Deum & eius verbum. Sed nunc videmus per speculum in ænigmate, postea autem clariùs quasi de facie ad faciem, 1. Cor. 13. Hęc est allegoria veri sabbathi, sicut docet Apostolus Hebr. 4. & Esa. vltimo, erit sabbatum perpetuum. Monet igitur sabbatum quietem illam futuram in vita æterna, in qua homines notitia Dei fruuntur, & Deum glorificabunt, & quanuis allegoria ad futuram vitam pertinet, externum tamē sabbatum conseruare maximè opus est propter ministerium verbi Dei & cæremonias, id est, vt cantemus, laudemus Dominum, &c. vt summa beneficia Dei veneremur & conseruemus. Aliqui etiam dicunt Allegoriam sabbathi esse vacationem, cùm patimur Deum agentem in nobis: ideo sabbatum intelligunt de patientia, quę allegoria tametsi sit approbanda, non tamen sic propria est, vt est antedicta, sed quòd denotet futuram quietem: externum autem sabbatum est propter ministerium verbi Dei.

QUARTVM DEI PRÆCEPTVM, Honora patrem & matrem.

## CAPVT IX.

## ARGVMENTA.

1. *Quarè Deus hoc præceptum dedat.*
2. *Qui sint parentes quos honorare debemus.*
3. *Quod hæc obedientia & opera ciuilia, sint cultus Dei, & Deo placeant maximè.*

**D**ostquam Deus in tribus præceptis prioris tabulæ docuit, quem cultum interiorem & exteriorem ipse à nobis exigit: nunc docet in



cet in secunda tabula, quæ erga homines exercere debeamus, etiam propter ipsum. Dedit ergo hoc præceptum, ut esset ordo in hac societate vitæ, ut scilicet alij præstant, alij obtemperent, eò quòd necessariū est imbecilliores à præstantioribus defendi, regi & doceri: quare præcipit hoc præcepto honorem & obedientiam præstantioribus. nam sicut boues non à bobus, nec capræ à capris, ut Plato inquit, reguntur: sic natura nostra infirmior est, quàm ut seipsam regere possit. Ideò Deus dat homines doctos & sapientes, præstantes heroes &c. quibus donat præ cæteris donata gregia, eosq; ornat, ut sint loco suo, qui pacem, iustitiam, libertatemq; conseruent. Sic sunt diuersa dona Spiritus sancti, 1. Cor. 12. Et potestas à Deo est, id est ordinatio Dei, Rom. 13. Nam Deus per illos regit & conseruat iustitiam, &c. Et ideò illis debemus honorem & obedientiam propter Deum, 1. Pet. 2. eò quòd loco Dei constituuntur & vices tenent, & hæc ordinatio est maximè necessaria.

Parentes hoc præcepto, quos honorare debemus, sunt nostri genitores, quibus natura subiecti sumus & illis tenemur honorem & obedientiam ex Dei præcepto, non solum quia sunt genitores, sed quoniam Deus præcepit. Exo. 21. dicit, Qui percusserit patrem aut matrè, morte moriatur: & qui maledixerit patri vel matri suæ, morte moriatur. & Deuter. 27. Maledictus qui non honorat patrè aut matrè. Eccl. 3. Qui honorat patrem suum, vita viuet longiore. & iterum, Qui met Dominum, honorat parètes, & quasi Dominis seruiuet his qui se genuerunt, in opere, sermone & omni patientia. Vide latius caput de honore parentum.

Deindè parentes hoc loco intelliguntur Magistri & reliqui, quibus parentes suam vicem commiserunt, & illorum officium expediunt erga illos, ut sunt Tutores, Pædagogi, Patres familiæ, Prædicatores, hos omnes vocat scriptura etiam patres, eò quòd